



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum II. Si is.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

pra Francum hinc 3. nam actus electionis, & praesentationis in eum tendit, qui jus non habet, ideoque est species donationis, seu donationis gratuita; at verò commendare beneficia (altem ad tempus, donec Episcopus electus, & confirmatus sit, Capitulum non prohibetur, cum sit actus quidam jurisdictionis, seu administrationis necessariae. Ita Joann. And. in c. 2. n. 3. hoc tit. Francus hic in fine. Videri potest idem Francus in c. unico, de majoritate, & obedientia in sexto.

2. Notandum secundò. Aliud est praesentati admissio, & aliud institutio. Ita Gl. hic communiter recepta. Diversimodè tamen Doctores id explicant. Nam Joannes Monachus, & Andreas hic tradunt, nomine admissionis intelligi receptionem, seu approbationem, tituli que traditionem; nomine autem institutionis intelligunt corporalem in beneficium introductionem: quo sensu videtur etiam loqui Trid. sess. 7. c. 13. de reformatione. At verò Archidiaconus, & Anhotanus not. 2. Francus n. 2.

ajunt, admittere aliud non esse, quam ad examen recipere; instituere autem, jus de titulum tribuere.

CAPITULUM II.

Si is.

PARAPHRASIS.

Si Patronus ad beneficium parochiale vocans Clericum praesentet, qui in sacris Ordinibus non est, is repelli non debet, dummodo alioquin idoneus sit, & intra annum Sacerdos fieri possit.

Notandum. Clericus in minoribus ad parochiale beneficium promoveri potest, dummodo intra annum sacerdotium suscipere queat. Consentit c. licet 24. de electione in sexto. c. praeterea 3. de elec. & qualitate &c. & dixi de hoc in c. cum cunctis 7. §. inferiora: de electione. Necessarium tamen est, ut vigesimum quartam aetatis annum compleverit juxta cit. c. licet, & cit. c. cum in cunctis. & notant hic Dominicus & Francus n. 1.

TITULUS VIII.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIAE NON VACANTIS.



hic titulus ideo hoc in loco ponitur, ut intelligatur Ecclesiasticorum beneficiorum collationem, institutionem, & uno verbo concessionem faciendam non esse, nisi cum ea vacant.

CAPITULUM I.

Qui in vivorum.

PARAPHRASIS.

Qui in locum Sacerdotum adhuc viventium se substitui permiserunt, ab Ecclesiastica communione removendi sunt.

Ita ex Gelasio Papâ refertur. Paululiter decreverat Gregorius I. Pont. in Epistola ad Natalem Salonitanum Episcopum, relatus à Gratiano cap. 40. cap. 7. q. 1. Eum, qui contra justitiam in Archidiaconatum alterius se provehit, consensit, ab ejusmodi Archidiaconatus honore deponimus; qui si ulterius in loco eodem ministrare presumpserit, se participatione communionis terrea noverit esse privatum.

SUMMARIUM.

Non potest beneficium, quod unius est, si nondum vacet, alteri conferri, ut collatio non tantum irrita sit, sed